BERNOLDUS CONSTANTIENSIS. PS. ISIDORUS MERCATOR. BONIFATIUS. GREGORIUS MAGNUS. CANONES. LORCHER FäLSCHUNGEN. BERNARDUS CONSTANTIENSIS

Mitte 12. Jh. (nach 1107 [vgl. Bl. 86r-v]) Seite 150r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36815
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

municare presumat. Et post aliqua. Adhortationibus nostris parum ne
vestrae saluti obedientiam exhibete. et ab illis sacram communionem
percipite. quos se ab ante dicti maximi communione abstinuisse vel
abstinere cognoscetis. Augustinus in sermone de blasphemia
spiritus sancti. Sed nec ille dicendus est esse in ecclesia, et ad istam societatem spiritus per
tinere. qui ovibus Christi corporali tantum commixtione ficto corde
miscetur. Spiritus sanctus enim spiritus disciplinae fugiet fictum. Potest enim esse visibi
lis forma palmitis etiam praeter vitem. sed invisibilem vitam radicis habe
re non potest nisi in vite. Unde corporalia sacramenta quae portant
et celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi. formam pos
sunt exhibere pietatis. virtus vero pietatis invisibilis et spiritalis ita in
eis non potest esse quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum. quan
do amputatur a corpore. VI Quamvis igitur ex hoc quod per quemcunque
sacerdotem excommunicato interdicit communicare. pateat in quantum
delinquit. communicans ei quem sedes apostolica damnavit. ascribatur tamen
specialiter catholica auctoritas. quantae sit necessitatis apostolicae sedi
obedire. quantae damnationis contraire. Agatho. Sic omnes apostolicae sedis
sanctiones accipiendae sunt. tamquam ipsius divini petri voce firmatae.
Gregorius huius nominis quartus. Nulli fas est vel velle vel posse trans
gredi apostolicae sedis praecepta. nec eius dispositionis ministerium. quod
omnium sequi oportet caritatem. Sit igitur ruinae suae dolore prostratus.
quicunque apostolicis voluerit contraire decretis. Nec locum deinceps
inter sacerdotes habeat. sed extorris a sancto fiat ministerio. Non de cetero
iudicio quisquam postea curam habeat. quem iam damnatus esse sancta et apostolica
ecclesiae auctoritate. suaque inobedientia atque praesumptione a quoquam
esse non dubitatur. Et post aliqua. Sit igitur alienus a divinis et pontifi
calibus officiis. qui noluit praeceptis obedire apostolicis. VII

Videant igitur oves petro ad pascendum commissae. sibi se hoc pas
toris sedi debere. ut in omnibus eidem eodem concordent exa
nime. Petrus in ordinatione clementis. ut idem clemens scribit.
clero ac populo praecepit. ut non communicarent illi cui clemens pacificus